

Q. 251. 13.

Zc
1453

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII
EPISTOLA
DE
ANTI-KLOTZIO
EX
HARLESII VITIS PHILOLOG.
p. 132.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



876 VI

.124 613



R
V
Lon
Pup
Sic

quae
rantur
doctiff
miam
immo
fummi
cundif
dam,
res m
essem
meque
Quid
dum,
venuf
niet.

mu

Q

Prodi
Burm
cinam
specta
lum



KLOTZIVS HARLESIO SVO S. D.

*Vt nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus: ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum,
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora,*
quae adventum meum in urbem vestram morantur voluptatemque cum ex adsp̄ctu tot doctissimorum virorum, qui vestram Academiam ornant, atque inprimis illius, qui de me immortaliter meritus est, ill. Michaelis, viri summi, tum ex Tua consuetudine, cuius iucundissimo fructu tamdiu carui, percipiendam, mi amicissime *Harlesi*. Quae quidem res mihi multo molestius accideret, nisi nactus essem ante paucos dies, quo fallerem tempus meque suavissime recrearem delectaremque. Quid enim quaeris? Nosti *Burmannum Secundum*, quo, si soli ipsi quaerendum dederis, non venustioreni elegantiorenique hominem inveniet. Rogas? promisit hic pectore
*murrhinam, passum, defrutum, melinam mel
quouismodi.*
*Quin in corde instruere nuper coepit ther-
mopolium.*
Prodiit tandem *in dias luminis auras* ille *Burmanniani* ingenii partus, cui faventem *Lucinam* adhuc precatus sum, quem avide expectavi, quem advenientem ad me non solum lubenter excepi, sed etiam, ut filiolum



bellissimum patris pulchelli, fere sum exoscultatus. De libro ipso non opus est ut Tibi multa dicam. Simillimum eum esse dico reliquis, quos iste edidit, libellis. Facile agnoscas patrem, si etiam nomen desit in fronte: patrem, cui iste thesaurus in lingua positus est, ut quaestui habeat, male loqui melioribus.

Illud vero non iniucundum Tibi forsitan erit cognoscere, me mirificum in hac re consilium cepisse, quodque Tu a Klotzio Tuo vix exspectaveris. In scenam, inquis, adversarium tuum produces, quod iam minatus es, aut itenum exequias illi duces? Mehercle! non faciam, mi *Harlesi*. Acerbius illius temeritatem ulciscari, atrocius supplicii genus inveni. Quid igitur ages? tacebo. Miraris et frontem corrugas? ita est profecto: tacebo. stat sententia, non muto animum. Sed lubet, quoniam et otium nunc mihi est, et nihil suavius, quam Tecum colloqui per litteras, quando coram nondum licet, paullo copiosius consilii mei rationem exponere. Primum igitur eo scribendi genere usum esse dico *Burmannum*, quod nostrae aetatis elegantiam nostrarumque litterarum humanitatem omnino non deceat. quanquam quid de humanitate loquor, cuius ille ne umbram quidem vidit? Non indignarer profecto, si facete et urbane rem egisset, si iocis non illiberalibus me pupugisset. immo faverem hominis ingenio. Iam vero quid aliud protulit,

lit, nisi foedissimorum verborum turbam, al-
lium, hircum, haram, suem, canem, capram
olentem, ut est apud poetam? Nec habet plus
sapientiae, quam lapis. Egone autem hanc
asperitatem conviciorum, hanc acerbitatem
sermonis, hanc tristitiam orationis imiter?
Omnibus, qui non plane ab humanitate abhor-
rent, molestus forem. Et quam putas me meae
naturae vim allaturum esse? Non pudet pro-
fiteri, me hac parte ab adversario meo viuci
et superari.

*Domi habet hortum et condimenta ad omnes
mores maleficos.*

Quae enim iste convicia evomit! quas for-
des verborum! quam turpi oratione honestas
aures offendit! O, mi *Burmanne*, cogitabam
saepe illa legens,

*Tui quidem edepol omnis mores ad venustatem
valent*

*Cedo tuis mihi homines aurichalco contra
cum istis moribus.*

Deinde ea contra me impuro impuro dixit,
quae omnes, qui res meas non plane igno-
rant, irridebunt. Quid enim multis doceam,
me non ob *Satyras* quasdam *Lipsia* abire
coactum esse, quod *Burmannus*, nescio quo
auctore, aliquoties dixit? cum tamen ipse
Lipsienses in *Novis litterariis* me *multa cum
laude* in ea urbe vixisse professi sint paullo post
abitum meum, aut quid ostendam, minime



me pretio adductum optimum virum, *Saxium* defendisse, quem longe ante amavi, quam Herculis Amstelaedamensis nomen fando accepi. Ipse iudicabis, utrum cadat talis suspicio in animum meum, an plane a vita moribusque meis abhorreat. Sed taedet de eiusmodi criminibus, quibus ne inimici quidem mei fidem habebunt, multa verba facere. Porro collegit ille e carminibus meis operarum errores, quorum alii iam a me indicati sunt in Actis vernaculis: *Critische und zuverlässige Nachrichten*. alii omnino non debebant proferri, si *Burmannus* viri gravis personam sustinere vellet. Quare neque video, quid bono viro respondeam? aut quomodo? Vereor enim, ne alii operam nostram, quam ille in conquirendis, ego in defendendis peccatis typographi, uterque in rebus tenuissimis, ponamus, irrideant, quosque minime vituperare audeo. Quare mitto illa παιδαγωγὴ καυχήματα. Vellem tamen, ut ipse *Burmannus* paullo maiorem in scribendo diligentiam adhibuisset, cavissetque melius ea, quae pueris etiam risum movebunt. Qualia enim Tibi videntur ista: p. 80. IN tantum poetam evasit: p. 14. insultum hunc: superciliose: sufflaminare: p. 18. ab initio strutarum suarum: p. 42. falsitates: in praef. foetum abortivum strangulare neque luci exponere: p. 28. exagitationibus futilibus: p. 42. typothetis extra morem industriis: p. 52. condendis

audendis peioris adhuc monetae versibus natus:
 p. 54. *versus ex poetica officina sua Actis inserere:*
 p. 58. *mores veram inclarescendi et ad fortunam*
meritis patentem perveniendi viam ipsi occlu-
dent: p. 3. tela in me coniecta ex proprio tuo
armario in caput tuum retorquere: p. 5. licet
ruborem illum in meam detorqueat invidiam.
 Mitto centum alia. E carminibus duo tantum
 dabo. *Cacoque furacior ipso canit suavissimus*
poeta, licet prima syllaba in furacior produ-
cenda sit: quibus adde iam notata a me:
Et pharetra ex humeris pendere sueta? iacent,
 atque

Quo vivo exarsit moriente flagrat &c.
 et alio loco: *Publica quod privis praeponere*
commoda mallent. — Quam Domino fasces
submittere VELLE potenti.

Vides mihi non deesse, quae regerere pos-
 sem, si luberet. Et quid, si ex innumeris foedissi-
 misque peccatis Grammaticis pauca, quoniam
 chartula, in qua illa notavi, ad manum nunc
 est, tecum communicem, quid dices? Mi-
 raberis hominis stuporem. Arrige igitur aures.

Aures, oculi, animus ampliter fient saturi.

† *Quum nullis clandestinis artibus in reginae*
aulam INREPSE- RAT, sed sola nominis cele-
britate et litterarum studiis favorem eximiae
Principis sibi CONCILIASSET. in Com-
ment. de vita Heinsii, p. 16.

- † *patriam virorum magnorum noscere quanti interfit historiae litterariae scriptoribus nemo ignorat.* Antikl. p. 95.
- † *DE aliis SIBI dominis circumspicere coepit.* Vit. p. 36.
- † *banc singularem Gaudentii comitatem et praeclarum de EO (pro se) demerendo studium praedicat grato animo Heinsius.* ib. p. 7.
- † *aliquot annis PRAEDAM SE ESSE vulturibus et hirudinibus rogatis PRAETVLIT, quam non VICTOR de Fortunae iniquitate triumphare.* ib. p. 39.
- † *id autem eo gravius ferendum est, quia multa ipsi PERIERINT scrinia.* ib. p. 51. *ut in praef. ad Vales. Em. subplere et compensare ut possit, non vano augurio ominamur. et ib. ut forte aliquando se hoc thesauro ditatam visura sit posteritas, augurari datur. & Hoc autem ut consequar certissima spes me fovet.*
- † *Licet corporis robur et mentis integrae vigor bene ominari nobis spem darent.* in praef.
- † *ingenium in eo elucescebat vividum.* vid. Voss. de Vit. Serm. I. 23.
- † *quem communicatum Broukhusio fuisse opinor.* ib. v. Gronov. Obl. II, 6.
- † *Inter — viros, qui Aristophanem, scenae Atticae principem emendandum aut illustrandum susceperunt, NEMINEM hactenus repertum fuisse QVI singulas et omnes ex antiquitatis naufragio nobis superstites eius comoedias*



diis perpetuis animadversionibus suis aut no-
ris EXPOSVERUNT, mirari certe licet.
praef. ad Aristoph. p. I.

† *Quid de hoc opere Bergleriano sperandum fuis-
set indicat, quum — emendaverit —
contulerit — enotaverit Berglerus.*

† *quem ut paedagogum traducere, et qui nihil aliud
LEGERAT aut SCIRET praeter Ammianum
Mar. — iactare ausus fuerat. praef. Valef.
Emend.*

† *erit, quod labori ac curae iis impensae mihi
gratuler.*

† *ut donare VELLET hortatur eum: ib.*

† *et paullo post: ut edere veller, valde eumhorta-
tur. sed sic solet saepe. ut Vit. Heinsii p. 39.
fieri vix potuit ut servaverit. p. 41. ut agno-
sceret et uteretur, optat. p. 6. non potue-
runt. — ut fuerit. p. 7. adduxit, ut iacuerit.*

† *Haec iubet Isaacum Vossium, doctis suis clien-
tibus iam mancipatum, HEINSIO exarare
epistolam. lb. p. 14.*

† *Certe Brukbusiani hi commentarii quemadmo-
dum a peritissime nec imae chveae iudice Ez.
Spanhemio in — a praeclaris cultissimae
eruditionis perpoliti ingenii et singularis plane
industriae limatique iudicii VIRTUTE com-
mendantur. p. 23. praef. ad Lotich.*





† *carmina non omnia tamen a Lotichio ipso ubique ultimam manum emendatricem subiisse.*
Ib. p. 27.

† *Vtinam Scaligeri desiderio OBSEQUI et plurimorum istius temporis doctorum hortatu commoveri se ad promissa haec solvenda PASSVS FVISSET Casaubonus!* Ib.

† *quoniam — consilium illud suum ABIEGERIT, — nobis de eo ita ut par est iudicare integrum non est.* Ib. ut in Arist. praef. p. 12.

† *Quod autem Aelianus hic dicat eo spectat.* in not. p. 128. ut in praef. ad Arist. p. 27. *Quod existimet Berglerus — in dubium vocari possit.*

Habes indicem peccatorum, quae pueri alapis luunt. nunc dabo alterum soloecismorum et barbarismorum. quanquam multo potuissim plura notare peccata, si orationes *Burmanni* haec scribenti ad manum fuissent.

Vit. Heinf. p. 9. litterariae Italicae peregrinationis spolia.

p. 11. dum in laudes deliciarum Romanarum fervore ingenii et venae luxuriantis torrente abripitur, plus aequo saepe peregrinum et in Batavos suos ac foli natalis genium non raro iniquiorem prodidisse animum.

- p. 12. dum styli cultioris et calami luxuriantis lasciviae animus indulget.
- ib. autumno huius anni tempore. *quanquam pro autumnali hoc verbum poni vel Lexica testantur. sed huius formulae alia ratio.*
- p. 13. id operam dedit, ut — Gronovio stationem Historiarum et Eloquentiae in Academia Leidenfi tunc vacantem adfereret.
- p. 14. haec poemata delicatis magnae principis auribus, sic ut par erat, responderunt.
- ib. Christina luculentis litteris Danielem compellavit Heinsium, petiitque, ut filium eius ingens aulae suae ornamentum sibi vindicare pateretur.
- p. 15. ut ad lares in Sueviam transferendos sarcinas suas conligeret, quibus convasatis &c.
- ib. profusae eruditionis vir. *ut Dominus Petrus olim profusi stomachi.*
- ib. funebri parentatione laudare.
- p. 20. talem itineris comitem adsumere litteris deprecatus a regina est Heinsius.
- p. 24. peregrinationis Italicae cursum producere.
27. cum panegyricis et encomiasticis carminibus operis vestibulum ornantibus.



- p. 31. Salutationibus officiosis aliquem in-
visere.
32. supinitas. *quanquam locum Quintiliani,
ubi verbum occurrit, novi.*
33. amicitiam alicuius magno ambitionis ad-
paratu captare.
96. haec epistola omnibus, qui contem-
plari amant, (*v. Cellar. Anib. p. 256.*)
cum cura legi meretur.
35. ob aerarii indignis modis discerpti an-
gustias.
36. frequentioribus litteris Christinae gra-
tiam factam rectamque conservare.
79. dum inexplicabili litium harum labyrin-
tho inclusus haeret.
44. sacrorum puriorum vadimonium defe-
rere. p. 54. dente livido manes Heinsii
arrostit.
- p. 1. fata — chartis consignata in pu-
blicum producere, et in exemplum
imitationis proponere.
- p. 2. merita, quibus victuro aeternitatis pe-
plo nomen suum inseruit ac perennavit,
ut et in dedic. animi propensissimi affectum
si erga me porro perennare non dedignemini.
Poteratne monachus aliter?

Ib.

Ib. fata viri inlustri propius inspexerat,
atque in numero habebat.

p. 5. duce naturae genio ad poësin factus
erat.

p. 6. homo cupediis poeticis innutritus.

p. 7. vita sedentaria. Ib. soluta ac ligatae
scriptionis facultas promptissima. bibliothecis
plus aequo incumbere.

In praef. Postquam litteris politioribus obscu-
rum in initio emicuit crepusculum ex squa-
lido illo barbariei veterno marcidum caput
extollere quidem ausi fuerant, viri, sed
qui venturi tamen aevi nepotibus facem,
quantumvis tremulam tumidamque praetu-
lerunt. Ib. viri eruditionis dote laudatissi-
mi. Ib. Itaque dum illorum potiundi da-
bitur occasio, contenti simus interim hoc
Catone. (*loquitur de Epicediis in mortem
Heinsii*). Ib. nullis eruditionis frugibus nu-
triti, sed non nisi glande anilis ac super-
stitiosae doctrinae pasti, quicquid ex vete-
rum elegantiarum poetarumque fontibus in-
bibendum iuventuti propinatur, ut meram
spurcitiem ac turpitudinum colluviem lace-
rare non erubescunt.

Praefat. ad Lotich. p. 2. sed nec succeda-
neam laudem et suo tempore ubique reger-
minantis laureae adorem novis ingeniis
quoque maligne denegemus. Ib. post re-
fuscitatas e tumulis Gothicis veterum elegan-
tias.



tias. p. 5. *de poeta*: incomparabilis venae de
perenni fonte fluentis fertilitas. p. 6. quam
quidem imitationis varietatem et, ut ita di-
cam, artificii mixturam paucos feliciter Lo-
tichio alternasse — manifestum est. p. 8.
horum fragmenta apud Athenaeum sparsa
vagantur. carmina Calvi longi temporis fi-
tus obduxit. 9. collocare amat. 15. op-
time etiam tali pentametro utitur, ubi Ti-
bullum circumscribit, nomine eius non
expresso. 16. neminem tam insubidi et
aversi a veris Musarum deliciis palati futu-
rum. 21. si primum illum spiritus poetici
calorem temperet, ac moderetur limae fe-
verioris cura. 23. ad delicias poeticas plu-
rimorum palatum obbruit. p. 30. vix
annum aetatis trigessimum secundum prae-
tergressus. p. 32. licet aliarum scentiarum
ac disciplinarum cultoribus suis nunquam
fraudandus sit honor.

Praefat. ad Vales. Emend. propriis ingeniis
foetibus producendis quotidie incumbens. vul-
garis genii captum longe supergressa eruditio-
nis Valesianae *λειψωνα* oblivioso tenebrarum
situ interire, haud passi sumus. scripta aborti-
va. orationes alibi sparsim errantes. in not.
p. 84. rationes ficulneae. 171. ex professo
peculiari dissertazione de aliqua re agere. 232.
Foedissima plebeiorum scommatum cloaca.
(*id est. Petrus Burmannus Secundus, Baro Sant-*
bor-

horstianus) in adp. p. 34. quod carmen inter optimas Heinſii elegias agmen ducit. 44. Salmaſſii calumnias a manibus Viri maximi non depellit — et veluti in triumphum circumducit. p. 45. quod hac in re copioſius forte exſpatriatus ſum.

Praefat. ad Claudian. 19. editionem publicis orbis eruditi uſibus exponere. averſabatur morbum illum cacoethes Critices inſanabilem. Praefat. ad Ariſtoph. 1. comoedias Latino idiomate redditas. 2. editionem publico orbis eruditi theatro ſiſtere. 9. recentata editio. 11. editio Farreana tam preſſo pede inſiſtit veſtigiis editionis — 10. ſi liberalitate illa principis inſcatus hamata aurearum compedum catena ſe in Valachiam elici non paſſus fuiſſet. 12. diſtio pravo filo decurrens. 13. Ariſtophanem numeris metricis reſuderunt. 17. non tantum demonſtrant, quam quidem comoment. p. 14. ut - non adeo exprimeret, quam quidem ſuperaret.

Quoniam autem ſemel indices conſicere coepi, addam tertium eorum, quos modo lenius, modo atrocius, laceſſivit iugulavitque iſte PYRGOPOLINICES BOMBO MACHIDES CLVINSTARIDYSARCHIDES. ſunt vero hi:

Marklandus. in praef. Virg.

Petrus Bourdelotius. Vit. Heinſ. p. 33.

Iacobus Gronovius. ib. p. 54. in praef.

Claud. p. 25.

Leo



- Leo Allatius. p. 8.
 Peraltus et Bohursius. praef. ad Lotich. p. 2.
 Lernutius, Acidalius, Victor Gifelinus,
 Gruterus, Gulielmius. p. 7.
 Io. Petrus Lotichius, nepos Petri Lot. p. 16.
 Gottlieb Stolle, in not. p. 15. et in praef.
 ad Valef. Em.
 Kirchmannus. p. 138.
 Io. Herm. Bennerus. p. 415.
 - - Reitzius. p. 661.
 Editor reliquiarum Scriverii in praef. ad
 Valef. Emend.
 Lamp. Alardus. in not. ad Valef. p. 24.
 Io. Cornel. Paw. p. 232. et in praef. Ari-
 stoph. p. 5.
 Marville, f. Bonaventure d'Argonne, in
 adp. p. 29.
 Petavius. p. 40.
 Salmastius. p. 44.
 Casp. Barthius ad Eleg. de Phoen. p. 1036.
 et in praef. Claud. p. 22. in Antikl. p. 93.
 et 10. seq.
 Steph. Claverius praef. ad Claudian. p. 6.
 Thomas Demsterus. p. 11.
 Pitiscus, Thysius, Schrevelius, Cnippin-
 gus. p. 18.
 Nic. Biffius. p. 23.
 Petrus Francius. p. 30.
 Io. Hemr. Maius. praef. Aristoph. p. 5.
 Ever-

Everard. Otto in Anth. p. 312. in Antikl.
p. 15. sequ.

Io. Clericus in Anthol. p. 252. et 287.
in Antikl. p. 18. sequ.

Reiskius, (auctor censurae speciminis in Act.
Er.) p. 74. 76. 77. 358. in Antikl. p. 13.

Io. Casp. Schroederus, in Antikl. p. 87.

Westerhovius p. 110.

Gundlingius p. 114.

AUCTOR recensionis Livii Drakenborchia-
ni in *Actis Lips.* p. 13. cui *insignem mali-
gnitatem* h. l. tribuit et quem tamen in De-
dic. scribit: "*Actis his conscribendis longe
melioribus auspiciis principes operas collocare
solere.*"

Matthaeus Lagius p. 15.

Auctor Chrestomathiae Petronio — Bur-
mannianae p. 21.

Ohe! iam satis est. Quis neget

*Pyrgopolinicum hunc unum in terra vivere
Virtute et forma et factis invictissimum?*

Quid prohibet, quominus acclamemus *Io triumphel*
et clamemus iterum *Io triumphel*? Nihil
dicam de Saryris, quibus celsissimam domum
Auriacam, ipsorum Amstelaedamensium pro-
cerum unum alterumve, torque alios bonos et
doctos viros lacecessivit. Quid ego haec mi-
rer? "Novi enim Burmannum, cum in-
fentius se vino ingurgitasset, repente ex
b
„ho-



„homine factum esse porcum, suoque impuro
 „ore, quae devoraverat, coram illustrissimo
 „Principe Governatore, obstupescens eius
 „Palatinis, evomuisse, honorificentissimo
 „PECVDIS titulo eo tempore eamque ob cau-
 „sam ornatum. quo quid potest turpius co-
 „gitari dicique?” Sed nolo copiosius impu-
 dentiam hominis commemorare. Illud ope-
 ram dabo, ut intelligas, mendacissimum esse
 eundem hominem: de me mentitum egregie:
 dignum omnium bonorum odio. Hoc, hoc
 ludimagistro Santhorstiano.

*Nil est profecto stultius neque stolidius
 Neque mendaciloquius neque argutum magis
 Neque confidentiloquius, neque periurius.
 Quod ne temere dixisse videar, exhibebo*

INDICEM ATRVM

MENDACIORVM P. BYRMANNI SECVNDI
 DE KLOTZIO.

- I. p. 21. mentitur me in *Actis Erud. Lips.*
 a. 1748. p. 123. meritis Patruum sui detra-
 here conatum esse. Nempe tum cir-
 citer undecim annos natus, vix nomen
Actorum audivi.
- II. p. 8. tribuit mihi censuram orationis Cl.
 Saxii in *Actis*. a. 1761. p. 384. Vivit
 vero, et vivat opto diu feliciter! illustris
Belius, qui *Actorum* curam habet, et
 falso

falso hanc censuram mihi tribui, omnium optime novit.

III. p. 39. me Dorvilli commentarium in Charitonem male vituperasse lectoribus persuadere cupit. Ego haec scripseram: *Legi Dorvillii animadversiones et gaudeo me legisse. Multa me ex iis didicisse gratus fateor.* (haec omisit, quae sequuntur attulit.) *Sed dic sodes, si ea rescindas, quae ad Manethonem, ad veterum epigrammatum anthologiam, ad alios scriptores pertinent, si ea tantummodo colligas, quae Charitonem illustrant, o quamtam ad maciem pingue hoc corpus redigetur! Sex octove plagulas habebis. iam habemus volumen.* (sequentia iterum omittit.) *At sunt doctae, sunt bonae frugis plenae hae animadversiones. sed nunc non erat his locus.*

IV. mentitur passim in libro, me initium fecisse rixarum. Ipse fecit, quod ob censuram Onomastici Cl. Saxii *mulum mulum fricuisse* pro elegantia sua dixerat. Ego tamen in ea nullam Burmanni mentionem feceram.

V. p. 25. ignorantiam meam Latini sermonis ostendere eo conatur, quod *celare* cum casu tertio reprehenderim, et, ut est facetus, me ad lexica demittit. Vbi hoc dixi? ubi? in *Antib.* p. 40.
b 2. at



at ibi legitur: *Novi quidem defendi plurima posse auctoritate antiquissimorum scriptorum, sed persuasi mihi certissime, Burmannum illa scribentem non magis cogitasse locum aliquem Ennii aut Pacuvii, quam in epist. ad Fratr. p. 12. licet omnem rei historiam EI ab initio caute celatam oprasset, in animo habuisse observationem aliquam Grammaticam.*

VI. p. 89. inquit, me comparasse fasciculum carminum cum aulaeis versicoloribus et veste varia mimi. Falso. dixeram in *Eleg. p. 24. in Satyris tot hominum tamque varia ingenia et vitia picta esse, ut vix mimi vestis tam varia sit. &c. Est facies hominum plurima picta mihi.*

VII. p. 92. calumniatur, me cum Alexandro et Achille me ferio comparasse &c. in *El. p. 25. iocose scripseram: poetam qui carmina sua in ignem coniiciat maiorem esse Alexandro et Achille.*

VIII. p. 40. dicit me fortitudinem meam iactare, et loco malitiose excerpto hoc ostendere cupit. Ille locus (nam ipse filet) est p. 78. in libello *de minutiarum studio.* quem si quis evolvat, improbum mendacium statim cognoscet.

IX. p. 117. eandem cantilenam repetit, et mendacio veritatis speciem conciliare studet versu hoc ex *Opusc. Poet. p. 67.*
Non

X.

XI.

Non adeo timidum faulrix natura creavit.
 Sed, qui Satyram ipsam legerint, vide-
 bunt, me dixisse: plurimos nefas cen-
 sere Satyras scribere: me tamen illis non
 obsecutum esse: *non me risisse negabo.*
Non adeo — creavit. Sed me sponte mea
voluisse laceffere quenquam — nego.

X. p. 57. dicit, me adfirmare ipsum, me a
 natura factum esse et compositum ad ma-
 ledicendum, nec mihi unquam felicius
 succedere carmen, quam ubi aliquem
 reprehendam. Nempe Rabenerum no-
 strum imitatus, qui rythmum simili modo
 accusat, in *opusc. p. 66.* iocose dixeram,
 ipsum versum reclamare si laudare ali-
 quem velim, nec admittere verba *Philoso-*
phus, eruditus, Iurisconsultus: unde haec:
Nonne tuus verbis et metro Klorzius ergo
Ducitur, ut nervis alienis mobile li-
gnum?

XI. p. 21. me clamat SAEPIVS in *Antiburn.*
 omni pudore posthabito patruo suo insulta-
 re, idque auctoritate Pavonis et Chrestoma-
 thiae Petronianae auctoris. hoc semel feci
 p. 42. *Vellemus tamen obiecisset noster*
consilium, Graecam eruditionem osten-
tandi. Non ignoravit, quam infeliciter
haec res cesserit Patruo suo, de quo in
Chrestomathia Petroniana, in Pavonis anim-
adversionibus in Theophrastum et alibi
 b 3 *multa*



multa iucunda leguntur. An vero mentitus sum? hac certe in re illi verum viderunt.

XII. p. 11. me Io. Frid. Gronovium inter Batavos reposuisse inquit. Quomodo scripsi in *Antib.* p. 29? *Adscribamus vero laudes, quibus ipsi Batavi, iique viri doctissimi Barthium affecerunt. Edidit nuper Vellerus Danielis Heinsii et Io. Fried. Gronovii ad Barthium literas, in quibus hi nostrum summis laudibus efferunt.*

XIII. p. 28. lectoribus persuadere cupit me nescire, quot pedibus constet Hexameter Graecus. nam me scripsisse, ὄν πῶποτ' ἐμοῖς &c. Locus est in *Antib.* p. 5. *Nihil unquam cum Burmanno negotii habui: nunquam vidi hominem: ater an albus sit nescio.* ὄν πῶποτ' ἐμοῖς βῆς ἤλασεν, οὐδὲ μὲν ἔππης - ἐπειὴ μάλα &c. Quis non videt me versum Homericum Il. A. 154. rei praesenti accommodasse, et, sicut ἤλασαν in ἤλασεν mutatum, ita etiam γὰρ omisisse, ὄν γὰρ πῶπ. quod hic locum habere non poterat. Pari modo etiam ex altero versu ea tantum attuli, quae apta iudicabam. Ipse censor scripsit bis ἤλασεν, quod est notandum.

XIV. p. 38. me Lipsium, Ios. Scaligerum, Nic. Heinsium, Bentleium in Criticos quarta luna natos reposuisse mentitur. ubi hoc

- hoc feci? edat locum: indicet librum.
- XV. ubi unquam pentametrum scripsi, cuius exitum faciat monosyllabum? calumniator tamen p. 119. versum *mellea basia dic* esse dicit plane ad Klotzianum genium.
- XVI. ubi questus sum, me misere algere et esurire cogi? quod iste p. 105. mentitur.
- XVII. falso edidit p. 93. *Ac tuam amicitiam semper retinebo Ziglere.* in El. p. 48. clare scriptum est: *Zigere.* ebriusne fuit igitur an coecus?
- XVIII. falso edit distichon p. 86. *Tu lacrimas nostras (acceptas pectore fido Proveniunt lacrimae,) grataque carmina habe.* In El. p. 48. editum est - *acceptas (pectore &c.*
- XIX. maligne p. 87. ubi earundem vocum nimis angusto spatio factam repetitionem vituperat, totum distichon in *op. p. 75. Hoc gemitu &c.* quo interposito omnino vituperatio tollitur, omittit.
- XX. p. 117. mentitur me scripsisse: *lumina nostra duo*, ne quis me unoculum putet. scripsi in El. p. 26. *Mens meminisse horret, quales heu! quotque per annos Libri vexarint* (non *vexarunt*, ut edidit) *lumina nostra duo.* quis tò duo ad annos referendum esse non videt?



XXI. p. 111. inter peccata metrica refert ver-
sum: *Gratum lenimen*: etsi ipse legit:
me scripsisse in *praef. p. II. error typogra-*
phicus: Gratum lenimen corrigendus est
sic: gratum levamen.

XXII. me furti aliquoties accusare tentat. nam
p. 123. duo priores, inquit, *pentametri*
versus poetae a genio Klorziano diversi ma-
num prae se ferre videntur. p. 125. et
p. 112. *versum alibi lectum* dicit, quem-
admodum etiam, dum p. 70. emendatio-
nem aliquam probare cogitur, *sive illius*
auctor sit Klorzius, aut alius quispiam
addit. Nempe *dolebat*

Et si non aliqua nocuisset mortuus esset.

Non prius Burmannum mendacem censere
desinam, quam librum unde haec sumse-
rim, indicaverit.

Vides me recte dixisse, mendacissimum esse
hominem Burmannum?

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam
atque audaciam,

Confidentiam, confirmatam, fraudulentiam,
Qui arguet se, eum contra vincet iureiu-
rando suo.

Domi habet animum falsiloquum falsificum
falsiurium, Domi dolos.

Potuissem vero hunc indicem valde augere, si lubuisset. Nam mendaciolum aliquod in quavis fere plagula apparet. Sic p. 37. *se lufisse nonnunquam agnoscit, in ridiculos quosdam Marsyas liberiore calamo: se tamen nunquam in viros illustres et doctos aliquid inclementius scripsisse, eodemque loco valde indignatur, me audacissimum hominem Satyras scripsisse. Non igitur ad doctos Marklandum, cui proterve satis et petulanter insultat, ad illustres Caspar. Burmannum refert? quem ipsum patruelem suum duobus procacissimis Epigrammatibus sugillavit, quorum principia duntaxat dabo: Haec est alterius &c. et: Splendet in Auriaca praeclustris veste Senaror &c. Et, amabo Te,*

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Nostin' eundem hunc esse hominem qui *Philalathes Batavus* (dignior profecto *Philonizis Belluae, Philalazonis Bestiarii, Philoeni Balatronis* nominibus) vocari voluit? qui illustrissimam domum Auriacam toties laceffivit? e a quo in lucem editi sunt famosi libelli complures, ut:

Sapientia Hyperborealis

Epistola Charlottae Amaliae,

Inscriptio nova in Tabula nigra, sed cum

litteris aureis scripta Amsterdami super camino aedis ex suo ipsius peculio restaurata nunc primum in lucem data



commento amplo et necessario illuminata et contra reprobrationes cavillificas defensata per Gottfridum olim monachum S. Pantaleonis Veneri Magistrum Baccalaureum. Stampatum in Haga. 1758.

Epistola ad Fratrem Theologum.

Nonne mirus homo est Petrullus noster, qui sibi soli maledicere, reliquis ne ridere quidem licere putet? Sed ita solet, quae ipse facit, iusta putare. Indignatur p. 38. me Salmasium *immodestum Criticum et inhumanitatis magistrum* appellasse. Ipse vero in *adp. Valef. Emend. p. 44.* inquit: *Salmasius nimia alios exagitandi acerbitate saepe in transversa actus-stylus acerrimus, sed a Salmasii indole non alienus.* — *Salmasii calumnias* — Quid? num ille ideo, quia Santhorstiani Baronis titulo superbit, se solum libere sententiam suam dicere posse existimat? Vereor profecto, ne omnes irrideant hominis factum qui iam olim tenui visitatoris Gymnasii Amstelaedamensis iure perridicule abusus minorum gentium magistro lepidas poenas dedit. Porro p. 88. male in Elegiaco carmine a me positum esse dicit verbum Graecum *Stromata*, et ipse in *Dorvill. Epiced.* id est, in Elegiaco carmine: *per te Graecorum collecta Epigrammata vatium: seu quae semirutis inscripta Epigrammata bustis.* Denique p. 99. aegre fert me dixisse: *Tunc iterum sanum me dulcis Lipsia habebit.* Fateor

non

non optime haec dicta, sed peius ipse censor in orat. in Dorvill. p. 19. postquam cum sanitate in gratiam redisset. Inprimis vero ridicula mihi visa est *Elegia Centonaria*, quam adtexuit, confuta illa mendaciis, calumniis, scurrilibus iocis. quae omnia nec enarrare ne possum silentio praeterire. Primum reprehendit, quae omnino non debebat, quaeque optimorum scriptorum auctoritate confirmantur. Sic clamitat p. 93. me prave corripuisse ultimam in *puto*, *retinebo*, *transseo* &c. quod tamen ipse ad *Lorich*. p. 238. a bonis poetis factum esse docet, multisque probat *Iohnson* in *Aristarch. Antibenleian*. p. 75. P. II. Etsi ipse ibidem p. 159. dixerit, quando corripit a *Statio Theb. VIII. 248.* et *Valer. Flacco VIII, 213.* etsi sic saepe *Martialis*, me tamen p. 94. reprehendit. Non fert, p. 123. me *heu!* dixisse: verbum Latinum non esse: dicendum esse *heu! heu!* At licet bene novi, quae *Burmannus* I. ad *Virg. Ecl. II, 58.* notavit, idem tamen novi multos libros cum scriptos tum impressos exhibere *heu!* confer *Drakenborch. ad Sil. XI, 212. P. 90.* me reprehendit, quod vocem nimis humilem eorum et eius usurpaverim. Primum usurpavi in *Satyra*, quae prope abest a *Sermone pedestri*: deinde posui adductus auctoritate *Tibulli I, 7. Propertii, IV, 6. Horatiique III, 11. Muniant angues caput*



put eius. vid. Burm. ad *Ov. Met. VIII, 16. et*
Gratii Cyneget. 224. tum bonorum codicum
 lectiones sequi, quam acumen Bentleii malui,
 qui huius observationis auctor est. Quam sine
 causa vituperat p. 115. versum: *Et mala mor-*
tales quae sibi cunque creant licet Virgil. *Aen.*
I, 614. *Quae me cunque vocant terrae* et Ho-
 ratius: *Quem crimosos cunque voles modum*
pones iambis, dixerit: p. 92. verbum *impe-*
tuosus, quod Plinii optimi libri exhibent,
 quemadmodum *impetuose* etiam occurrit:
 p. 98. verbum *nexisti*, quod et Priscianus loco
 Lucilii, *X, 903.* et Brukhufus ad *Propert. III,*
6, 37. tueretur: p. 97. ultimam in *ergo* cor-
 reptam, etsi non ignoravit, recte scripserit
 Hoogstratanum ad *Lotich. p. 12.* plerique, qui
 post *AVGVSTI* aetatem scripsere, ultimam in *ergo*
 corripuere: p. 94. verbum *thronus*, quo Plinius
 utitur: p. 97. *mellifluus*, quod Avieno et Boe-
 thio placuit: p. 99. *divus* pro *divinus*, quod
 plurimi recentiores non averfati (v. *Cellar.*
Cur. Poster. p. 293.) p. 97. *heu!* in fine versus
 Sapphici etsi Horatius: *Sed palam captis gra-*
vis heu! nefas heu! p. 106. *rupes praerupta-*
que saxa, etsi Ovid. *Rem. Am. 179.* *Ecce pe-*
tunt rupes praeruptaque saxa capellae: cui Ovi-
 dio elegantiores aures fuisse puto, quam Bur-
 manno. Tum cur p. 115. clamitat, male de-
 finire pentametrum in syllabam brevem neutro
 plurali, *ut pelleret corde mala?* addit tamen:
apud

apud Ovidium tamen, praesertim in Tristibus id non infrequens. Cur igitur, stultissime Grammaticae, me accusas? Huic stultitiae simile exemplum edit p. 122. ubi non poni debere queo in Elegia: p. 90. ubi secundam in Gronovius non producendam esse: p. 117. ubi non dici posse inquit: rostra sparsa esse cruore Ciceronis. Docti viri sciunt memoriae prodicium esse: caput Ciceronis inter duas manus in rostris positum fuisse. Versum: quidve bonum rectum quid turpe docens quid honestum (p. 105.) et finem hexametri: sapientiam ab ore (p. 120.) multis exemplis defendere possem, si opus esset, (ipse: Iamque paludosa frontem male confite ab ulva) quemadmodum primam in propitius producant Prudentius et Iuvenus: (p. 110.) ultimam in facile Ovidius (p. 118.) verbo hiece (p. 115.) Terentius et Cicero utuntur: et rythmum in hexametro neque optimi poetae evitaverunt: (p. 87.) docente hoc Barthio ad Stat. Theb. II, 239. ipsoque temulento Critico ad Lotich. p. 494. et 93. Neque causam video, cur vituperet p. 85. summum patriae ornamentum: (ipse cecinit: Pausilypus genuit et squallida Mergilline) cur p. 961. quando Dresdam repetes Saxoniamque tuam? (quasi aliquis nequeat in Saxoniam redire, quin Dresdam redeat) cur p. 88. cuique dedit felix adeo natura cerebrum, quod expressum ex Horat. Serm. I, 9. II. O te Balane cerebri felicem. cur p. 86.

Ger-



Germania, qua cultior. Nep. V, 2. *Arx, qua ad
 meridiem vergit et sic saepe alii. ipse censor: Do-
 tus et in lacrimas qua patet orbis eat.*) cur p. 88.
adferre flores, purpureas rosas (quasi non liceat
 explicare uberius, quod antea generali nomine
 dictum) cur p. 85. *spes pia, civium amor* (quo
 modo multi versus Catulli et Propertii de-
 sinunt): cur p. 108. *tellurem et littora tangat.*
 nam prius litus tangi quam tellurem. ego
 puto eodem tempore, quo navibus egredian-
 tur et litus tangant nautae, tangere quoque
 eosdem terram, et licere unam rem duobus
 verbis poetis exprimere. Si illius aures offen-
 derunt p. 102. versus: *Atque ubi quas prin-
 ceptis augustas reddidit aedes.* et p. 99. *Tunc cineri
 paucas lacrimas donate sodales.* et p. 121. *No-
 stra deo o utinam &c.* cur ipse scripsit: *Falli-
 mur? an nutu mea dicta probatis amico. Qui
 deleta animis haec benefacta neget: seu Latii
 adtonitam te carminis arte tenerent: Dorvilliis-
 que tuis veteris praeconia famae: Dorvilli ci-
 tharam toties mirate canoram. Desine de lauri
 cingere fronde comas. Francius Ausoniae nobi-
 lis arte lyrae. aut rapidis torta Charybdis
 aquis. Ausonia aut Clarios incitat aura viros.
 Pars melior de te nempe superstes agit. Et si-
 mul agnorunt Manethonis sidera lucem. Spera-
 bat cupida Musica turba manu. Tot spolia er-
 rorum tot rara tropaea tuorum. Quae omnia
 ex uno carmine in obitum Dorvillii excerpti.
 qui-*

quibus adde: ante tuos ponere Petre, pedes ex
 Eleg. ad Lotich. Denique non ideo scripsi:
Tuis auspiciis, (iam video dies) quod pri-
 mam in tuis produci volui, sed quod Horatius
 II, 20, 11. *Superne nascunturque leves*, II,
 19, 22. *Cohors gigantum scanderet impia*,
 II, 17, 3. *Obire Maecenas mearum*. II,
 14, 6. *Amice places illacrymabilem*. et alibi
 mihi exemplum reliquit, quod sequi possem.
 In *Omitte* (p. 102.) primam produxi, quo-
 niam alii hoc fecerant, cum quoniam esset
 quasi *Obmitto*, tum quia Horatius produxisse
 videretur: *Omitte mirari beatæ*: in *Philosophia*
 (p. 87.) autem, quia, ut ipse vidit, aliter hoc
 verbum non locum inveniret in carmine. ver-
 bum *deerit* (p. 99.) aliorum exemplo tribus
 syllabis extensum posui: ut et *suavis* (p. 120.)
 quemadmodum Douza iam in *Praecidan. ad Ti-*
bull. c. 19. de polysyllabis in pentametro (p.
 100.) egit. Sed nimis longe in una re mor-
 ror. Alterum, quod proposueram, erat maligni-
 tatis ut specimina darem. Saepius unam ean-
 demque rem repetit Burmannus, ut persuade-
 ret lectoribus, me quam saepissime unum idem-
 que peccatum commisisse. Sic de pentametri
 exitu per elisionem ut: *civium amor*, agit p. 85.
 92. 113. 114. 117. 102. 103. 97. 107. de
 verbo *divus* p. 108. et 95. *rudis* p. 109. 94.
irretorto p. 120. 92. *ornamentum* p. 85. 106.
 de

de concursu similium verborum 96. 98. 99. 101. 120. ergo. p. 97. 121. et sic saepe solet, ut de *diripere* p. 121. 122. ubi factor me scribere debuisset *deripuit*, pro *diripuit*. Sed ut errarem facile effecerunt tot libri, in quibus idem deprehendas. vid. *Heinsium ad Ovid. Am. I, 5, 13. et Met. III, 52*. Denique Burmannus saepe versus meos irrisit, nec tamen causam, cur rideret, edidit. quasi vero iste paedagogus ille sit, cuius nutu omnia regantur. Exempla vide. p. 89. 33. p. 91. 53. 59. 62. 63. p. 93. 73. 81. p. 94. 85. p. 95. 103. 105. p. 96. 111. 115. p. 97. 116. 125. p. 99. 137. 143. p. 100. 147. et sic centies. Intelliges hinc totum librum plenum esse conviciis, fraudibus, fallaciis, mendaciis, et lepidissimis erroribus. Intelliges vero etiam hoc, mihi non deesse, quae respondeam, quibusque cum stuporem et imperitiam, tum malitiam hominis et impudentiam incredibilem ostendam. quae quidem tu cum iis communicare poteris, qui hominem forte non norint. Nam quicumque ex iis, quae fortissimus heros de se praedicat de illo iudicet quantivis pretii hominem esse putabit, strenuumque gladiatorem, qui spiritu legiones Grammaticorum difflet

Quasi ventus folia aut panniculam rectoriam.

Nam magnifice loquitur: se dictatorem esse putat: magna se auctoritate florere persuadere impe-

imperitis cupit. Atque hercle! incredibile est, quomodo forte

quando incedat per vias

Contemplant, conspiciant omnes, nutent, nitent, sibilent,

Vellitent, vocent:

sibi que infusurrent: Hem! nonne hic iste qui olim in castris prope Leowardiam positus graecatus, qui deprehensus in loco non honesto, in cista absconditus — a iuvenibus elatus — qui domi tyrannidem saevitiae Neronianae non multum absimilem exercet — qui aeditimum competitorum feliciter spe nuptiarum evertit: qui moribundae uxori, quam omnibus calumniarum tormentis cruciaverat, confessionem extorsit, se cum illa placide et sine ulla offensa vixisse: qui turpiter cum consanguineis et affinis flagitiose et turpiter rixatus est: qui Vryhofio quotidianis vexationibus tabem contraxit: qui tributum *πανάμω* — Veneris nepotulus mollissimus — Sed desino. Nam hoc, ni fallor, iam alio tempore tibi narraui quaerenti nuper, qui homo esset Burmannus, respondisse virum in Belgio gratiosi nominis: illum non multo maiori loco et numero apud Amstelaedamenses haberi, ac canem in vicis currentem. Habet praeterea liber additum *Elogium* Francico sermone conscriptum, cuius auctorem *Reiskium* puto. e quo non possum non pauca excer-



excerpere: — *et se retira a Iena; ou pour attra-
per de quoi vivre, [nempe erat Ienam abeundum,
ut vitam sustinerem! ride, mi Harlesi, ride et
cuique Ienensium, qui mihi obolum donaverit,
me nummum aureum redditurum esse pro-
mitte. Hem! atrum panem profecto e iure he-
sterno me vorare oportuisset, si liberalitate eu-
iusquam (quisquis ille fuerit) Ienae sustentatus
vitam agere voluissem debuisssemque. Quid
vero, mi Burmanne, quam dives tu es?*

Bur. satis est divitiarum.

*Plus mihi auri mille est modiorum Philippi,
praeter thesaurum.*

*Tum argenti montes non massas habeo. Aet-
na non aequae alta est.*

Credo profecto multos te habere scyphos, can-
tharos, calices, multa pocula. sed tamen audivi
trapezitas te bene nosse: audivi, te lubenter
aes alienum contrahere et creditorum spem elu-
dere o dulcissime, peritissime, clarissime magister
bibendi. audivi te, si desit argenti copia mira-
bili mercatu libros tuos vendere: audivi te
nunquam religiosiorem fuisse quam in colli-
gendis didactri vestigalibus, severius ea impor-
tuniusque, quam vel discentium persona, vel
conditio fortunaque pateretur, exigendo. Hinc
iustam nonnemini indignationem aequo animo
ferre debueras: an equis tuis alimenta foeni
et avenae desint, quod pecuniam quoquo modo
cogas] *il fait sa cour a Mrs. Walch, qui l'employens*

SOUTENIR la renommée de leur Société Latine,
 comme ils l'appellent : et CERTAINEMENT,
 entre les Académiciens Latins à Jena C'EST
 KLOTZ QVI ENTENDETECRIT LELATIN
 LE MIEUX. quid dicturos esse putas homines,
 qui me ideo parum peritum Latinarum littera-
 rum censent, quoniam Gesnerum non solum vi-
 rum doctissimum esse, sed etiam probabili dicendi
 genere uti, dixi? In cachinnos effusus sum
 his lectis. Si Burmannus praevidisset, me
 tanta cum animi voluptate Antiklotzium per-
 lecturum esse, hercle! eum non edidisset.
 Praeterea me recreabit semper reficietque illa
 cogitatio, summum Gesnerum et dignum cen-
 suisse Burmanni stuporem, qui castigaretur,
 et praedixisse, quas mihi dedit homo iste,
 poenas. sunt litterae in viri cuiusdam docti ma-
 nibus in quibus ille scripsit ad virum quen-
 dam celeberrimum: *Pluscula sunt in spe-*
cimine (Anthologiae) eius, in quibus amico mo-
nitore opus habet. Sed non puto illum posse
ferre Germanum monitorem, minime omnium
Gesnerum: et in aliis: an emendaturus sit multi-
pliciter et quaedam graviter satis peccata in
specimine? Si dignum censuisset, cui verbu-
lum humanam reponerem indicaturus ea homini
fuera quae forte cum pudore aliquo discer in po-
sterum ab aliis. item rursus in aliis litteris: Hu-
manitatem Petri Iunioris non desidero post eam
rationem, qua mecum adhuc egit. Viderit ipse

Zc 1453

DK

VB18

36



modo curet iudicia posteritatis! Equidem nolim
mea culpa de me legi, quae fieri potest ut de illo et
in illum legant posteri: quin ab illo etiam, si spe-
cimini Anthologiae Latinae opus ipsum aliquando
respondeat. Verum haec haecenus. De reli-
quis propediem coram, vir amicissime. Nam
video me iam longiorem fuisse, quam pro-
positum mihi erat. Sed proventus sum amore
et cupiditate Tecum garriendi. Vale interim
et quod facis, me amare perge. Scr.
Jenae d. VIII. Sept. 1762.




p. 4. l. 15. l. ulciscar. p. 5. l. 17. pro impuro
l. ore.

ULB Halle

3

001 529 587





Farbkarte #13

B.I.G.



Q.13.251.113

Zc
1453

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII
EPISTOLA
DE
ANTI-KLOTZIO
EX
HARLESII VITIS PHILOLOG.
P. 132.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

